

quod tibi Dominus negare posset, ignoscit. » Sic Ambr.

Deinde, adhibe sanctorum, qui in caelo sunt, preces et imprimis Deiparæ, quæ singularis peccatorum est advocata, nec demerita eorum aspiciet, uti Christus iudex, sed Dei misericordiam; etenim si ad ejus preces Christus aquam vertit in vinum, mutabit etiam insipidum peccatorem in gratissimum sibi amicum. Qui enumerat stupendas conversiones, quas Christus Dominus ad suæ Matris preces fecit? « In te, inquit S. Bern. serm. II. de pentecost. angeli lætitiæ, justi gratiam, peccatores veniam invenierunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ; quia in te et per te benigna manus omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit; hominem reparans, qui perierat. » Quod si sancti adhuc in mortali vita degentes periculis pleni et aliorum precibus indigentes, gratiam aliis impetrabant; quanto magis id facient constituti in caelo? Et si Jeremias adhuc in limbo positus multum orabat pro populo, II. Macch. XV. quanto magis in caelo? Nec timendum ne ibi nostri obliviscantur, ut pincerna ille Josephi, quia charitatem non deposuerunt, sed conversionem nostram lucrum suum reputant.

Denique, ss. angelorum, qui te quemadmodum Loth, ex Sodomis manu apprehensa educant e peccatorum incendio, Gen. XIX. qui te velut Cornelium illum centurionem moneant, ut medicum illos, qui possit animam tuam sanare, Act. X.

VI. Erant in domo sedentes, ait S. Lucas, Act. 1. Ubi est ergo animæ tranquillitas, illuc libenter ingreditur et habitat Spiritus sanctus. Audi S. Bern. tract. de interiori domo: « Omnes, inquit, cordis distractiones et mentis fluctuationes in unum collige et in solo Deo totum desiderium tuum fige, et ibi sit cor tuum, ubi est thesaurus tuus desiderabilis multumque amabilis. Ipse enim frequenter visitat et libenter inhabitat tranquillitatem cordis et otium quietæ mentis, quoniam pax est in pace et factus est locus ejus. » Hoc designavi Magdalena cum ad pedes Domini sedi; dum Martha circa multa occuparetur. Nemo libenter ingreditur domum in qua audit jurgia et rixas. Videat ergo homo, utrum non in domo cordis sui audiat adhuc jurgia syndæreseos cum voluntate; et concordet diffidentes. Si enim syndæresis arguat voluntatem adhuc circa aliquid depravatam, jam rixa est in domo. Audi Bern. ubi sup. c. VI. « Primo studeat unusquisque ne dissideat a semetipso, quoniam omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet, nec intrabit Christum, ubi parietes inclinati fuerint et maceris depulsa: » et paulo post: « Dignum

habituaculum parat Deo, cujus nec ratio decepta nec voluntas perversa, nec memoria inquinata. »

VII. Expectabant completionem dierum pentecostes. Pentecoste propter quinquagenarium numerum, a quo nomen habet, tropologica symbolum est perfectæ pœnitentiæ ac remissionis peccatorum, ut docet S. Hieronymus, I. II. in Isa. unde et Psalmus L. maxime est pœnitentialis. Quare si quis velit accipere Spiritum sanctum prius agat perfectam pœnitentiam. In die pentecostes debebant Judæi ob memoriam dati decalogi, ex singulis habitaculis offerre duos panes ex primitiis frugum, Levit. XXIII. Simili ratione a pœnitente ob fractum ab eo decalogum offerendi sunt Deo panes, contritio et confessio: vel si commoditas confessionis non adsit, dolor de peccatis, et propositum emendationis. Nisi tali oblatione places Deum, non agis pentecosten, nec recipies Spiritum sanctum. Clarum est Spiritum sanctum descendisse in terra duplici forma, columbæ et ignis. Utrovis modo expectes, non descendet nec habitabit in corpore subdito peccatis. Columba enim omnem e nido ejicit immunditiam, et ignis similiter impuritatem. Columba illa, quam emisit Noe de arca, reversa est ad arcam, quia non invenit: *Ubi requiesceret pes ejus*, ait sacer textus, Gen. VIII. Quomodo non invenit? Annon invenit corvus jam antea emissus, qui non est reversus, qui scilicet sedit super cadavera in aquis natantia, ut vult Chrysostomus et alii? Nimirum columba non solet sedere super cadavera aut loca luto adhuc infecta: atque ita non invenit locum mundum, in quo posset requiescere. Ergo Spiritus sanctus non requiescit in peccatore, qui adhuc instar cadaveris fetet, vel in limo profundi hæret; cor mundum ei præparandum est. Sed qua ratione? Per sinceram contritionem. An nescimus qua ratione Elias ignem de caelo detraxerit super sacrificium suum? III. Reg. XVIII. Postquam erexisset altare et posuisset super id holocaustum, divisum scilicet in membra bovem, jussit aquam fundi super holocaustum, et super ligna, tribus vocibus, et tunc cecidit ignis Domini de caelis super altare, et devoravit holocaustum et ligna et lapides, pulverem quoque et aquam. Ista est ratio eliciendi in cor peccatoris ignem Spiritus sancti; si nimirum lacrymæ fundantur in peccata membratim divisa et exposita in confessione; sunt enim lacrymæ velut aqua viva seu adustum vinum, quod cito concipit ignem. Similem rationem eundem concipiendi ignem docuit Publicanus, dum percutiens et conterens pectus suum dixit: *Deus, propitius esto mihi peccatori*. Noverat nimirum ille de silice ignem illici forti percussione, idcirco percussit lapideum pectus suum et ignem

Sancti Spiritus extorsit. Est enim contritio, ultima ad gratiam dispositio, directe expellens peccatum et aperiens januam Spiritui sancto.

Porro expleri debent hi dies pentecostes, id est, perfecta pœnitentia agi, si enim illi desit vel dolor de peccato, vel propositum emendationis, vel confessio, cum est occasio, non est perfecta pœnitentia.

Habemus igitur non unam, sed plures vias deducendi ad nos Spiritum sanctum et acquirendi Dei gratiam. Surgat imprimis quisque de tuto fœcis, et incipiat desiderare vera et solida bona. Deinde, studeat liberaliter erogare elemosynam. Quod si hoc non potest, quia egenus forte est, exerceat spiritualem aliam elemosynam dimittatque injurias: quod si non habet inimicum, instet orationi jugiter: quod si etiam huic diffidat, adjungat sibi patronos. Denique, pacem in conscientia sua faciat per veram pœnitentiam.

CONCIO III.

QUANTA BONA CONFERAT HOMINI SPIRITUS SANCTUS PER GRATIAM HABITUALEM.

I. Facit eum filium Dei adoptivum, et quanta hæc dignitas, quantum et hoc bonum. — II. Facit illum Dei hospitem, et quanta hæc dignitas, quantum et hoc bonum. — III. Facit animam ejus sponsam, et quanta hæc dignitas, quantum et hoc bonum.

THEMA.

Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Joann. XIV.

Tria non spernenda præmia promiserat Saul rex ei, qui cum Goliath in arenam descendisset, eumque superasset: divitias magnas, filiam suam, et exemptionem a tributo. Quibus promissis excitatus David in medium prosiluit seque ad duellum obtulit, vicitque felicissime. Multo majora præmia sunt, quæ in hodierno evangelio proponit nobis Christus pro opere non difficili. Non enim vult ut pugnemus cum forti aliquo Goliatho, sed ut ipsum diligamus; quod nemini difficile, ab omnibus præstari nullo negotio potest. Et audiamus præmia: *Si quis diligit me, Pater meus diligit eum; ecce primum: Et ad eum veniemus; ecce secundum: Et mansionem apud eum faciemus; ecce tertium*. Per primum offert se in patrem nostrum, per secundum in nostrum hospitem, per tertium in sp̄snum. Quanta et quam sublimia sunt hæc promissa! Omnia ista confert homini gratia habitualis. Quis sanctorum spe præmiorum non excitetur ad amorem Christi? Ergo ut hic amor in nobis exardescat, examinemus primum accuratius præmia proposita.

I. Gratia habitualis confert homini dignitatem filii Dei (non naturalis sed adoptivi) quod insinuat in hodierno evangelio, cum dicitur: *Et Pater meus diligit eum*. Eam autem dilectionem non qualemcumque, sed filialem esse testatur Joannes, ep. 1. cap. III. cum ait: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus*; et indicat ipsemet Dominus, cum jubet nos sic orare: *Pater noster, qui es in caelis*. Idque non denominatione extrinseca (quo modo aliqui vocantur comites Palatini, qui comitatum nullum habent; vel quo rex Hispaniæ solet heroes aliquos appellare cognatos, qui revera cognati ejus non sunt) sed revera: *Ut filii Dei nominemur et simus*. Et ratio est, quia gratia est quædam participatio divinæ naturæ et similitudo, quanta maxime in creatura haberi potest. Unde II. Pet. 1. dicitur: *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc officiamini divinæ consortes naturæ*. Secundum S. Bern. est radius quidam solis justitiæ animam quasi deficiens: ut autem solis radius in speculum incidens solem repræsentat, sic gratia in anima Deum. Ut ergo pater amat filium, quia ejus caro et sanguis est, ejus nomen, formam et mores repræsentat filius, et tanto magis amat, quanto magis is repræsentat, veluti adultum et reipublicæ jam utilem, quam infantem; ita Deus amat hominem justum uti filium, quia ejus gratiam in se habet ejusque moribus se accommodat.

Quanta vero dignitas, diligi a Deo et diligi ut filium? Nemini est obscurum, quanti æstiment homines, si principibus viris familiariter quis utatur, si cum illis epuletur, ludat, corrideat, eodem curru vehatur; si de propria eorum manu litteras accipiat, si amicus ab eis vocitetur, etc. Et quantulum est hoc? Principes illi homines sunt, et quia cor amati non vident, vix amant sine formidine et limitatione. Longe aliter Deus, qui vere et omnimode amat justum. Et quis est Deus: et quis homo ut amari a Deo debeat? Unde Job, c. VII. miratur: *Quid est homo quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quanta autem ea dignitas, humuncionem pauperulum vocari a Deo filium, quemadmodum vocatus a Christo paralyticus ille: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*.

Quantum etiam hoc bonum? Nam: *Si filii et hæredes*, inquit apostolus, ad Rom. VIII. *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Gratia enim est semen gloriæ. Sicut ergo ex semine nascitur arbor et fructus, ita ex gratia provenit gloria et felicitas æterna. Rursum si filii, ergo singulari et paterna benevolentia ab eodem gubernantur, proteguntur, etiam in hoc sæculo. Nam si diligit Deus justum et diligit ut filium, quid

non honorum impendet et providebit illi? Videmus parentes pro filiis sudare, algere et extrema pericula adire, quo eos alant, ditent, orment, scientiis expoliant, evehant, etc. hocque ideo tantum, quia amant eos ut filios. Hoc totum ergo, et multo plus præstabit (etsi absque labore) Deus justo, quia ut filium amat. Quod si nunc rogemus parvulum: Quæso unde tibi vestis, postquam hanc detriveris? Pecunias non habes, ut coemas; sartor non es, ut conficias; unde tibi erit vestis? Mox respondebit: Pater meus providebit: ego de hoc sollicitus non sum. Si quæramus rursus: Ecce nunc quam difficilia tempora! Quanta annonæ charitas! Et unde tibi victus, si a patre emanciperis? dicet illi: Pater mihi providebit de patrimonio, uxore divite, stipendio, relinquet hæreditatem, etc. Si ei dicamus: Cur quæso pater tuus ablegat te ad peregrinam et longinquam nationem? Cur in aula principis servire cogit? Cur addit te ad linguas perdiscendas? Cur cogit frequentare scholas et negligere interim plurimas delicias et recreationes domesticas? Respondebit, si sapit: Id in meam pater facit utilitatem, ut scientiis et moribus me imbuat. Totum hoc dicere potest et cogitare debet quisquis Dei gratia præditus est.

Pater videns filium patientem vel periclitantem statim accurrit et fert opem; ægro medicos advocat; sic et Deus justo. Unde duæ illæ sorores, ægrotante fratre Lazaro, nil aliud nuntiant Christo quam: *Ecce, quem amas, infirmatur. Non dixerunt: Veni. Amanti enim tantummodo nuntiantum fuit. Sufficit ut noveris: non enim amas et deseris*, ait S. Augustinus, tract. XLIX. in Joan.

Denique, si filii per gratiam, ergo omnia Dei bona, nostra etiam sunt, quia: *Omnia mea tua sunt*, ait pater illi filio, Luc. XV. Qui enim habet gratiam, habet ingentem auri thesaurum, quo omnia potest emere, ideoque ditissimus est; unde apostolus: *Gratia Dei, vita æterna*, ad Rom. VI.

II. Conferat homini dignitatem hospitis et hospiti divini. Propter quod in hodierno evangelio subditur: *Et ad eum venimus*. Quanta etiam ista dignitas quaatum bonum? Dignitas ex eo elucet, quod centurio ille indignum se reputavit, qui reciperet Christum in domum suam, similiter Joannes Baptista etsi omnium sanctissimus, cum dixit: *Tu venis ad me? Ego a te debeo baptizari*. Quantum ergo est illud, totam sanctissimam Trinitatem venire ad hominem? Venit etiam ad hominem justum singulari quadam ratione (non qua omnibus rebus præsens est) singulari favore, splendore et munificentia. Venit non per legatum aliquem, aut donum solum intermedium, sed in propria natura et tribus Personis

totius sanctissimæ Trinitatis, ut indicat evangelium et docent omnes doctores. Non enim per gratiam et charitatem habitat in nomine, quasi per vicarium donum: sed realiter et personaliter, mediante gratia, vinculo unionis. Per gratiam enim fit perfecta amicitia inter Deum et hominem, quæ postulat præsentiam, ut argumentatur Suarez, l. XII. de Deo trino et uno, c. V.

Quantum etiam hoc bonum? Si enim Deus venit ad hominis animam, ut in ea habitet, ergo non venit vacuus (juxta id apostoli, 1. Cor. XV. *Gratia ejus in me vacua non fuit*; sed quemadmodum domni Laban benedixit Deus ad introitum justis Jacob, ut omnia ei prospera succederent, Gen. XXX. ita multo magis benedixit Deus homini veniens ad illum. Affert enim secum plurimas virtutes et fontem perennem: *Aquæ vivæ salientis in vitam æternam*, juxta id Joannis VII. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes)*, ait Joannes. Fons ille aquæ salientis in vitam æternam est Spiritus sanctus, ut exponit S. Ambrosius, l. 1. de Spiritu sancto, c. XX. Unde fluit aqua gratiæ et inclinatur ad producenda opera cæli meritoria. Ut enim aqua tantum ascendit, quantum prius descendit: sic opera in cælum non ascendunt, nisi per gratiam, quæ prius de cælo in cor hominis descendit. Exinde ergo fit, ut omnia justis bona opera sint meritoria gloriæ, et velut rivuli saliant ad vitam æternam. Bona opera moralia extra statum gratiæ facta, aquæ decurrentes sunt in terram; bona vero in gratiam facta, aquæ salientes in cælum. O quantum ergo ad laborandum, ut semper in gratia sumus! Flumina inde manantia sunt virtutes et dona Spiritus sancti, quæ secum affert gratia. Præter hæc etiam affert vitam animæ, ita ut sit vivum et fecundum Christoque incorporatum membrum. Ut enim aula principis eo præsentate tota quodammodo vivit et occupatur variis exercitiis, eo absente languet et mortua est; ita etiam anima inhabitata a Spiritu sancto tota vegetatur et vitales gratiæ operationes edit, eo destituta condeicit et languet. Deinde, si Deus inhabitat in homine, nihil est quod metuat homo in quacunque adversitate: *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* ad Rom. VIII. Cæsar in præsentissimo periculo navigans timentis navarcho dicebat: *Confide fortunæ, sciusque te Cæsarem vehere*, seu ut alii: *Noli timere, Cæsarem fortunatum ghis*, Plut. in apoph. Quanto magis animare justum debet Dei præsentia et inhabitatio, quibuscumque tandem in periculis, Deus enim infortunatum vehit. Et licet etiam contra justos insurgant tempestas, eosque graviter exagitent, quandiu tamen Dominus cum et in illis est; totæ ad bo-

num eorum cedunt, juxta id Isa. III. *Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum ad inventionum suarum comedit*. Si enim des illi opes, fiet alter Gregorius papa, Stephanus Hungariæ rex, etc. eximius videlicet eleemosynarius. Si eidem eas auferas, fiet alter Job vel Servolus, et utraque in fortuna mire proficiet ad sanctitatem; quomodo David in aula Saulis, sive ab ea moveatur, odio regis, sive ad eam revocaretur ejusdem placatione, uti 1. Reg. XVIII. videre est, ubi bene de eo dicitur: *Egredebatur et ingredebatur in conspectu populi*. Tam enim ingressus ejus a facie et fervore Saulis, quam ingressus ad eundem prosper et ad virtutis progressum salutaris ei fuit. Rursum David egrediebatur et intrabat in conspectu populi, id est, secure agebat, licet Saul ei infensus esset, quia scilicet erat Deus cum eo: cum contra Saul etiam stipatus exercitu semper metueret. Unde Psal. XXII. ait David: *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*: et apostolus, Phil. IV. *Omnia possum in eo qui me confortat*. Eidem cum tentationibus conflictanti dicitur a Deo: *Sufficit tibi gratia mea*: et S. Chrysostomus, in Gen. ait: *Gratia Dei murus est inexpugnabilis*.

Denique, cum intrat Spiritus sanctus, mediante beneficio prædicto, in animam justificatam, non sedet ibi otiosus, non sufficit illi animam sua præsentia condecorare, sed et virtute sua sanctificat illam operando in illa et cum illa, quidquid ad salutem conveniens est. Sedet ibi tamquam paterfamilias in domo sua, illam gubernans; sedet ibi tamquam præceptor in schola instruens illam; tamquam hortulanus in horto suo, colens illam; tamquam rex in regno suo, regens illam; tamquam sol in mundo, illuminans illam; denique tamquam anima in corpore suo, dans illa vitam, sensum et motum, non quidem ut forma in materia, sed ut paterfamilias in domo. Quid itaque beatius, quid optatius, quam in se hospitem habere talem, duces talem, socium talem, gubernatorem, tutorem denique et adiutorem talem? Qui cum sit omnia, omnia quoque operatur in anima in qua commoratur. Præcipue vero tamquam ignis illuminat nostrum intellectum, inflammat nostram voluntatem, et e terris ad cælum usque exaltat; ipse tamquam columba, nos simplices facit, mansuetos, placabiles, et omnibus amicos; ipse tamquam nubes refrigerat nos, et defendit ab ardore carnis, temperat insaniam furoremque passionum nostrarum, ipse denique tamquam ventus vehemens movet atque inclinatur voluntatem nostram, ad omne bonum, segregans illum et abstrahens ab omni inclinatione mala, donec tandem eo perveniant justificati, ut exosa sint eis omnia vitia, quæ prius ama-

bant, amentque virtutes, quos prius odebant, uti David idipsum aperte fatetur sibi contigisse, quodam enim loco dicit: *Iniquitatem odio habui et abominatus sum*: et alio loco: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis*.

III. Conferat homini dignitatem sponsæ, quia desponsat et devincit ipsi Deum, ne unquam eum deserere queat, nisi prius homo Deum ipsem deserat. Et hoc indicatur cum dicitur in hodierno evangelio: *Et mansionem apud eum faciemus*. Non enim venit ad hominem Deus, quomodo viator ad hospitium, qui cito iterum recedit; sed in eo per inhabitantem Spiritus sui gratiam, qui est pignus æternæ gloriæ, manet, dummodo homo pignus id suapte culpa non prodigat. Et ideo ss. litteræ testantur Deum desponsari animæ justæ, Os. II. *Sponsabo te mihi in sempiternum*, etc. Quanta autem ista dignitas, fieri sponsam Dei? Sane David cum devicto Goliatho offerret ei Saul filiam in sponsam, stupens dicebat: *Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut sim gener regis?* 1. Reg. XVIII. At quanto majus est fieri sponsam Dei?

Quantum etiam, bonum! Primo enim si sponsa Dei est anima justis; ergo Deus ei devinctus in æternum, ut ab eo divortium nunquam facere queat, nisi ipsa fornicetur, et relicto Deo, alteri adhæreat. Sic enim Ezech. XVI. ait: *Juravi tibi et ingressus sum pactum tecum, et facta es mihi*. Hujus rei testem annulum gerit in seipsa, gratiam scilicet, quæ pignus gloriæ. Et servat quidem Deus semper fidem sponsæ suæ; vicissim vero requirit ab eadem eandem; quia per annulum gratiæ eam sibi desponsavit in sempiternum. An si quidem illa fidei suæ oblita fornicetur, potest illi obijcere Deus, quod Thamar Judæ, Gen. XXXVIII. *Cognosce cujus sit annulus*.

Et hoc est quod semper adeo consolabatur martyres et cæteros sanctos, quod licet omnia iis auferri ab hominibus possent, Deus tamen non posset, juxta id Domini: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*.

Deinde, si sponsa Dei est anima, ergo ab eo ornari debet; hoc enim debet vir uxori, idemque præstat Deus justo, quem gratiæ suæ veste ita adornat, ut B. Catharina Sennensis, postquam animæ in gratia constitutæ pulchritudinem semel vidisset, confessario diceret: *O Pater, si tibi concessum esset intueri animam hominis absque peccato, in gratia Dei constitutam, propter amorem ac salutem animæ tuæ in prædam te dares cuicumque tribulationi, tormentis, et cruciatibus quibuscumque, et pati non unam dumtaxat, sed mille mortes eligeres*. Deut. XXI. jussit Deus, ut si quis

Judæus ex captivis aliquam extraneam uxorem adamaret, primo eam sordidis vestibus spoliaret; exin stafiū novis mundisque indueret, et sic eam uxorem haberet. Decet igitur ut hoc faciat Deus animæ peccatrici vere alienigenæ, cum assumere eam vult in sponsam. Itaque non solum a peccatis eam abluit, sed præterea nova splendidaque gratiæ veste, virtutum coloribus variegata induit. Ea vero pulchritudo in quibusdam sanctis e facie elucebat, uti in B. Virgine, teste S. Dionysio Areop. in S. Stephano, S. Arcadio, S. Simone Salo, S. Ignatio, etc. Hanc ss. angeli in anima venerantur, et statim incipiunt amare.

Ad hæc, si sponsa, ergo a sponso subinde recreari et cum ipso gaudere debet: *Numquid enim filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* ait Dominus, Matth. IX. Sic qui in gratia sunt, semper animo pacato et hilari sunt et in ipsis afflictionibus reficiuntur a sponso suo infernis solatiis.

Sponsa dignitatem sortitur sponsi, ut si sponsus sit rex, sponsa fiat regina. Omnes etiam proles sponsæ regiam induunt dignitatem propter sponsum regem, tametsi ipsa prius non fuerit regina; ita opera hominis justi induunt rationem meriti cœlestis, ut suprad.

Denique, sponsa gaudet, et fruitur bonis sponsi; omnia enim quæ habet sponsus, sponsæ etiam sunt, nec fit inter conjuges partitio bonorum: sed quod est unius, est et alterius. Regnum igitur suum, quod est: *Justitia, et pax et gaudium in Spiritu sancto* (ad Rom. XIV.) Deus intra sponsam ponit, ut ea cum ipso regnet, ipsius bonis fruatur.

Quando itaque tanta sunt bona, quæ præparavit Deus diligentibus se, tantæ dignitates, tantæ divitiæ, tantæ prærogativæ, quis non incitetur ad amorem Dei et vitiorum odium ac fugam? Neque enim hic alia pugna, nisi contra vitiorum illecebras requiritur, nec alius amari præcipitur, nisi is, qui ex natura sua amabilissimus, imo omne bonum est. Quando speciosissima illa Judith in castra Assyriorum descendit, Assyrii visa ejus pulchritudine dicebant: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras habent mulieres, ut non pro his merito contra eos pugnare debeamus?* Judith X. Nihil ad decorem gratiæ decor ille Judith. Quis ergo non pro ea depugnet contra vitia, quis non amet Deum, qui amorem illum tanto amore remunerat?

CONCIO IV.

SIGNA INHABITANTIS SPIRITUS SANCTI SEU GRATIÆ IN HOMINE.

I. Motus in homine internus. — II. Mutatio hominis in virum alterum. — III. Fuga illecebrarum peccati et timor Dei. — IV. Timoris humani expulsio. — V. Robur et imperterritus ad patiendum animus. — VI. Promptitudo ad obediendum Deo. — VII. Desiderium majoris perfectionis, et alaritas ad bene operandum: itemque modus accendendi in nobis ignem Spiritus sancti.

THEMA.

Tamquam ignis sedit supra singulos eorum.
Actor. II.

Magni momenti quæstio est, quam proposuit S. Paulus quibusdam discipulis, Actor. XIX. *Si Spiritum sanctum accepistis? Si quis enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, inquit idem apostolus, ad Rom. VIII. q. d. in statu gratiæ non est, in statu damnationis est, sed ne minus difficilis quæstio ista est; quia Spiritus sanctus non jam in visibili specie, velut olim columbæ super Christum, vel ignis super discipulos ejus; sed arcano et invisibili modo in cor hominis descendit. Unde Dominus, Joan. III. dixit Nicodemo: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis; sed nescis unde veniat et quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* In quem locum D. Gregorius, l. XXVII. moral. c. XIII. ait: «*Vocem Spiritus audire est vi compunctionis intimæ in amore conditoris assurgere. Sed nemo scit unde veniat, quia ignoratur per ora prædicantium, quibus se ad nos occasionibus fundat. Et nemo scit, quo vadat, quia cum unam prædicationem multi audiunt; intelligi non potest, quem deserens abiciat, aut cujus ingrediens in corde requiescat.*» Quid igitur, auditores, quid respondebimus apostolo? *Si Spiritum sanctum accepistis?* Respondemus ex Ecclesiæ cathol. sententia, non scire quidem nos certitudine fidei (ut volunt hæretici) nec certitudine infallibili, seu evidenter, an Spiritum sanctum acceperimus; posse tamen scire certitudine quadam morali, seu conjecturali, quæ excludat anxietatem ac metum, et quandoque omnem oppositi formidinem. Possumus ergo audire vocem Spiritus sancti, hoc est, ex quibusdam argumentis præsentiam ejus deprehendere, tametsi illam in nobis oculo fidei aut scientiæ non cernimus. Et propterea in specie ignis descendit hodie in discipulos, ut per analogiam et similitudinem effectuum, quos parit ignis, deprehendamus in cordibus nostris gratiam ejus; id quod nunc facimus.

I. Ignis strepitum edit, necnon bombum in bombardis, tonitru in nubibus. Ita Spiritus

sanctus cum incipit movere cor ad penitentiam et detestationem peccati, totum hominem concutit, et quasi fragore quodam edito aut tonitruo percussit. Quemadmodum enim ingrediente Domino Jerosolymam: *Commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?* Matth. XXI. ita ingrediente in cor hominis Spiritu sancto commovetur totus homo dicens: *Quis est hic, quem offendi? Quis sum ego qui eum provocare ad duellum ausus sum? Quanta insaniam laboravi? Quoties et quam graviter deliqui? Quantum boni perdidit? Quæ supplicia commerui? Hunc sonitum significare videtur ventus ille vehementis, qui missionem Spiritus sancti præcessit et replevit totam domum, ubi erant sedentes; ut scilicet indicetur prius vento gratiæ provenientis, et ad contritionem excitantis dejicienda obstacula Spiritus sancti peccata, et pulveres peccatorum evertendos. Quod si igitur ejusmodi commotionem et fragorem in te senseris, bono animo esto; non longe a te abest Spiritus sanctus, paulo enim post aderit. Cujus rei figura era Samson, qui irruente in se spiritu Domini dilaceravit leonem quasi hœdum in frusta discerpens, Jud. XIV. Discerpere igitur et tu peccata debes per contritionem, et in frusta comminuere per confessionem, si vis ut credam te a Spiritu sancto afflatum esse.*

II. Ignis immutat rerum naturas, cibos crudos excoquit, et salutares homini reddit, ferrum natura sua durum, obscurum, ponderosum, frigidum dum ignit, ignis conditionibus induit; reddit molle, lucidum, leve, fervens. Idem in corde hominis efficit Spiritus sancti adventus; immutat enim hominem, ut jam non idem, sed alius quidem homo esse videatur. Qui enim paulo ante fero durior, tenebris ipsis tetricior atque obscurior, pondere vitiorum ad terram demersus, glacie denique frigidior in amore cœlestium erat rerum, postea adveniente gratia duritiam solvit, ceditque inspirationibus divinis, cœlesti lumine illustratur, excussa peccatorum sarcina ac pondere terreni amoris, assurgit ad divina, cœlestia desiderat, serio et constanter cavet peccata, flagrat Dei amore, etc. Hac ratione Saul postquam inunctus fuit, e rustico et pastoritio viro mutatus est in regem, prophetam ac psalterem. Unde Samuel ad eum dixit: *Insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis et mutaberis in virum alterum*, 1. Reg. X. q. d. qui prius rusticam egisti vitam, de asinis tantum sollicitus et pecoribus, vilia et infima tractare solitus, postea inunctus oleo et afflatus spiritu Dei, altiores et regias cogitationes suscipies, regios mores indues, sublimia tantum negotia tractabis, et cum prophetis divinas laudes canes. Id quod ibidem factum esse magna populi ad-

miratione scribitur; dicebant enim: *Quanam res accidit filio Cis? Num et Saul inter prophetas?* Idem contigit apostolis, qui in unctione Spiritus sancti e rudibus et indoctis piscatoribus in viros tam eloquentes, eruditos et graves sunt mutati, ut omnes qui eos audiebant, obstupescerent, ac quodammodo dubitarent, utrum iidem, an alii essent: *Nonne, inquit, ecce omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt?* Act. II. sane ebrios saltem aut insanos putabant. Verum ebrii erant spirituali musto, quia per infusionem Spiritus sancti e carnalibus spirituales, e terrenis cœlestes facti sunt. Quando igitur videritis aliquem prius mundo, deliciis et vitiis deditum mores commutasse in melius, mundum et delicias spernere, superna amare, terrena fastidire, pro sceleratis actionibus sanctas edere, nunc scitote eum Spiritu sancto inunctum esse, ac dicite: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*, Ps. LXXVI.

III. Ignis omnia respuit, et neminem ad se prope accedentem admittit, quin in eum pugnet. Idem agit in homine Spiritus sanctus, quando per gratiam in eo habitat. Quare si peccatorum illecebras passim occurrentes respuas, et in eos pugnes, argumentum est Spiritus sancti in te habitantis. Paradisum munivit Deus flammeo gladio, Genes. III. ne quis deinceps accedere ad lignum vitæ posset. Spiritus sanctus munit cor hominis, quod inhabitat, igne timoris Dei. Hic si fuerit custos cordis tui, ut mundo, carni, diabolo aditum ocludas, tunc dicam hospitem cordis tui esse Spiritum sanctum. Quando principis palatium apertum et nullis satellitibus stipatum est, ita ut cuivis de plebe licitum sit ingredi, signum est principem domi non esse; contra vero in palatio esse, cum ad fores excubant satellites, et ab ingressu palatii arcent eos, qui ingredi non debent. Ita dico ego: Si cor tuum omnibus passim desideris et cogitationibus sit pervium, nec propterea tibi conscientiam facias, non esse domi tuæ Spiritum sanctum. At si custos tuus sit ignis Spiritus sancti et timor Dei, signum est inhabitari te a Spiritu sancto. Habuere custodem illum apostoli, qui post acceptum Spiritum sanctum, cum pessimus ille mercator Simon magus pecuniam eis offerret, ut darent eis potestatem conferendi Spiritum sanctum, respuerunt mox iniquissimum lucrum et dixerunt: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*, Act. VIII. Habuit et David qui a suis instigatus, ut occideret Saulem inimicum suum deprehensum in spelunca, abhorruit dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo domino*. Et cum præcideret oram chlamydis ejus, statim percussit eum cor suum, quasi custos ille timor Dei mox pro-